



Sigismundus filius fuit Caroli quarti Imperatoris
 Sex Ioanna conjugē, nepos Ioannis regis Bohe-
 miæ, & pronepos Heinrici septimi Lützelburgen-
 sis Cæsaris. Hic à parētibus omni genere literarum
 & linguarū diligentissimè institutus fuit, ita ut pau-
 latim mirum in modum prudentissimus princeps
 effectus sit. Effecit etiā regia maiestas, quam in pro-
 cero corpore ostentabat, præterea eius liberalitas
 ac munificentia, quæ multarum linguarum peritia
 insigniora reddidit, ut facilè omnes reges suæ ætatis
 antecelleret. Nam erat princeps humanissimus, in-
 signis staturæ, facie pulchra, crispis crinibus, & bar-
 ba proluxa, quam in Hungarorum fauorem nutrie-

bat. Præterea noscebat Germanicam, Latinam, Græcam, Sclauonicam, Galli-
 cam, & Italicam linguam. Latinam uerò ut præstantissimam maximè obserua-
 uit. Hinc postea factum, cum fortè lapsu linguæ in Constantiensi Concilio à
 Grāmaticæ regulis aberrasset, atque schisma masculino genere protulisset, ut
 à Placentino cardinale corripereetur. Cui mox ex tempore dicit: Placentine,
 Placentine. si omnibus placeres, minimè tamen nobis places, qui minoris nos
 authoritatis existimas quàm Priscianum Grammaticum, quem nos offendisse
 asseris. Sic factum ut Cæsaris erroris commissi excusatio, maximo omnium
 qui aderant cachinno suscepta fuerit.